



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

Cap. 1. Quid sit peccatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

TRACTATUS III.
De Peccatis in Communi.

CAP. I.

Quid sit peccatum.

- 1 **P**eccatum aliud est habituale, quod per modum habitualis defectus permanet, donec deleatur; aliud actuale.
- 2 Peccatum commissionis est actus humanus malus. Dicitur actus humanus, quia liber; malus, quia caret debita commensuratione; utpote à regula rationis hominis discedens. Aliter
- 3 Peccatum est dictum, factum, vel concupitum (quod materiale peccatum) contra vel præter legem Dei æternam (quod formale.)
- 4 Comprehenditur etiam sub peccato commissionis, peccatum omissionis, quia affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus.
Peccatum omissionis in eo consistit, quod homo non operans est, cum secundum legem operari deberet.
- 5 Quædam prohibita sunt, quia mala (sua pte natura, ut periurium, blasphemia) quædam verò mala, quia prohibita (per se quidem non inhonesta, sed per positivæ legis prohibitionem) ut laborare die festo. Quamvis autem talis lex, ab humano Magistratu posita sit, tamen eius transgressio etiam divinæ æternæ legi consequenter repugnat. *Qui enim resistit Potestati, Deo resistit.* Rom. 13. siquidem Deus iubet, & ratio naturalis dicitur legitimis superioribus obediendum esse, cum talis potestas à Deo sit.

CAP. II.